



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XVIII. Quæ sit actionum nostrarum, quæ quidem sunt honestæ,
forma.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

Cap. 18. ETHIC. CHRIST.
paria esse contendebant. Atque de vero actionū
nostrarum fine & scopo hæc tenus.



CAP. XVIII.

Quæ sit actionum nostrarum, quæ quidem sunt
honestæ, forma.

RESTAT autem quarta & vltima no-
strarum actionum causa, quæ forma
solet appellari, quæ qualis sit, etiam
nobis dispiciendum est. Tunc enim
plena totius huius argumenti tractatione per-
sequuti videbimur. Atque ex hoc ipso loco iam
facillimus nobis ad futuram Legis diuinæ ex-
planationem gradus erit. Ac quidem quum de
nostrarum actionum, imprimis autem honesta-
rum (de iis enim dicere maxime propositum est,
non autem de inhonestis & vitiosis, nisi quate-
nus honestas illustrant) forma quaeritur, hæc di-
stinctio videtur adhibenda, vt nostras actiones
consideremus;

quatenus sunt, } In nobis & in
 habitu,
 In ipso opere,
 & actu, vt lo-
 quuntur.

Dico in nobis, vel in habitu tunc esse actiones
nostras, quum in animi nostri proposito, cogi-
tatione, & præparatione, tanquam in ipso suo
fonte & causa parturiente, & eas producente,
adhuc spectantur. Itaque quum quæ sit huius-
modi actionum in animo nostro adhuc laten-
tium,

tium, sed tamen iam conceptarum forma petitur, illud queritur, Qualis sit animorum nostrorum *status*, & tanquam constitutio, & affectio, quemadmodum definit Plutarchus in libro De Moral. virtute, quum bene agere & volumus & possumus. Dico autem actiones nostras tunc esse in actu, quum iam sunt facta quaedam, & quum in ipsa effectione versantur, cum tanquam a nobis iam in lucem editi partus considerantur. In quo tunc illud queritur, Qualis sit ipsius honestae actionis, siue operis nostri ratio, species & forma externa, siue conformatio in sese, quae forma actus appellatur. Atque haec duplex forma, ne confuse tradatur, sigillatim explicanda nobis est. Queritur igitur, & quidem primum, Qualis sit latentis, & tamen iam conceptae in animo (vt cum Iacobo capite 1. vers. 15. loquar) actionis nostrae forma, id est, Qualis animus noster, & qualis interna illius preparatio, affectus, habitudo, constitutio, cogitatio, quum bonum illud opus parturimus, quod verè & non civiliter tantum: staterae diuinæ, & non humani tantum iudicij ratione bonum opus dicendum est. Certè qualitatem & affectionem in animis nostris aliquam inesse, eamque longè à prima natiuaque vitiositate & corruptione (quam per peccatum originale contraximus) diuersam & dissimilè, dubitari minimè potest. De nobis enim honestas actiones, non autè peccata parturientibus, atque foetantibus agimus. Deinde nos, id est, nostros animos qualitate valida, atque efficaci affici & informari, quum bene agimus, concedunt omnes: adeò vt alij eam chara-
liij.

cterem quemdam esse, qui animis nostris imprimatur, credant, qui que nunquam deleri possit. Alij eam esse nouam animam & mentem, quæ nobis infundatur à Deo, dicunt; adeò certum apud omnes semper fuit, nos, quum bene agimus, longè aliter animo affectos dispositosque esse, quàm à naturali & hæreditaria labis originalis, qualitate simus. Alij domum interiorem septè columnis (tot enim præcipuas virtutes constituunt) suffultam. Augustinus epist. ad Cossentium, quæ est in numero 83. aliquando eam animi nostri habitudinem iustitiam interioris hominis appellauit. Alibi virtutem, & animæ nostræ pulchritudinē: vt vitium animi nostri, deformitatem idem vocauit, libro 7. de Genes. ad Lit. cap. 6. Bernardus tam potentem esse eam vim & qualitatem, quæ tunc in nobis inest, scribit, vt per eam *quodammodo nostra voluntas in diuinâ transfundatur*: quia illi diuinæ conformis fit, atque consentiens. Hanc autem alij noui hominis in nobis instaurationem vocant. Atque hi postremi soli sentiunt, & loquuntur rectè, quemadmodum ex Paulo apparet, Ephes. 4. versu 23. Coloss. 3. vers. 10. Itaque & à nobis quoque sic nominabitur. Sed quia hæc instauratione duas habet partes,

{ Iustitiam
&
Sanctimoniam,

Quæsitum est, an hæc pars vtraque in nos à Deo infundatur. Ad quod breuiter quidē respondeo: Vtræque hanc dotem à Deo infundi in animas nostras, præter communē natiuæ conditionis nostræ sortem, & præter bona naturalia, qualis est naturalis

naturalis animi vigor, corporis vires, & cætera huiusmodi dona, quæ omnes homines communiter à Deo acceperunt. Benignissimè igitur Deus, præter communia illa dona, per vnigenitum Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum nobis, ac omnibus piis has caelestes gratias, largitur, & donat: quarum altera iustitia, altera sanctimonia animæ nostræ appellatur. Neque enim, quemadmodum de causa efficiente agentes docuimus, vel sanctitas, vel iustitia vlla naturalis iam post peccatum in nobis remansit, vel inest, utpote qui & ex peccatoribus nascimur, & peccatores, idque à primo statim cõceptionis nostræ momẽto, sum⁹. Atq; hoc tam verum est, ut maximè mirer tam obstinatè à Sententiariis disputari potuisse, vtrum sine Dei gratia externa, quæ in nos adueniat, bonum aliquod opus facere valeamus. Ergo præter ea, quæ nobis à natura cõmuniter omnibus insunt donatur solis electis Dei sanctitas & iustitia, & quidem vtraque à Deo, idque etiam gratis, propter vnigenitum Dominum nostrum Iesum, qui nos Deo Patri reconciliauit, atque has tam excellentes tamque egregias virtutes, per suam illam naturam humanam nobis cõmunicat. Nam Spiritus sanctus ex Christo tanquam perenni & inexhausto omnium Dei gratiarum fonte, in nos illas virtutes & gratias, non quidem perfectas (neque enim tãti boni hîc capaces sumus) transfundit & deriuat. Quamobrem solis Dei filiis, & per Christum electis hominibus hæc dotes conferuntur: non autè reprobis, qui sunt à Christi corpore & communionẽ prorsus separati.

deinde non vna tantum ex his duabus datur: sed vtraque, quia perpetuo & indiuiso inter se vinculo sunt ita connexæ, & ex eodem fidei fonte ita emanant, vt diuelli non possint, quemadmodum docet Paulus Rom. 8. vers. 30. Tit. 2. versu 14. atque hæc est vera animorum nostrorum opera non ciuilitate, sed verè bona parturientium & cogitantium *substantia* & forma, nimirum interna illa nostri renouatio, siue noui hominis indutio & receptio, quæ iustitia & sanctitate, vel potius sanctimonia constat: quanquam hic neutra in nobis perfecta esse potest. Ac sanctimonia quidem est totius animi & voluntatis nostræ ab impuris & Deo exositis cogitationibus, tum operibus fuga & segregatio: ad puras autem, & Dei verbo præceptas actiones perpetua applicatio, & tractatio studij, quæ propter energiam & efficacitatem sanctitatis, quæ in sanctissima illa Christi Dei & hominis carne, cui communicamur, inhabitat, & in nos, Spiritu sancto operante, transfunditur ac traicitur, 1. Petri 1. versu 2. Iustitia autem est animi & voluntatis nostræ, tum in cogitando, tum in operando, ad Dei præcepta, facta ad amissam conformatio, atque exacta exaquo, vt nulla in re à regula in iis præscripta discedant atque discordent. Talis igitur, & tam excellens est animi nostri perfectè bona opera producentis forma, & pulchritudo, quæ si oculis cerneretur, mirabiles sui amores exciteret. Hæc verò forma etsi tanquam per nubem & insomnium obscure philosophorum animis obuersata est, nunquam tamen ab iis perspecta, intellecta, & verè agnita dici potest. Nam ex so

lo Dei

lo Dei verbo nobis reuelatur: quo qui caruerunt, aut carent, & illius quoque tam venusta animi constitutionis & formæ cognitione priuatur. Quamobrem, vt rem totam in pauca conferam, hæc forma, de qua quæritur, est animi nostri noua excellensque qualitas, à Spiritu Dei propter nostram cum carne Christi communicatione impressa, quæ dicitur Renouatio, siue Illuminatio, quæque sanctitate & iustitia constat. Sanctitas autem hæc est, animi voluntatisque nostræ ab omnibus vitiosæ illius & naturæ concupiscentiæ inquinamenti purgatio. Iustitia est eiusdem animi & voluntatis nostræ institutio, quæ in perfecta omnium Dei præceptorum obseruatione atque repræsentatione posita est. Ex quo iam intelligitur, in illa sanctitate summum animorum nostrorum nitorem & puritatem inesse: in iustitia verò exactissimam eorundem ad Dei voluntatem similitudinem & reformationem. Hæc autem tam perfecta animorum nostrorum vis, forma & renouatio, hinc certè nobis in hoc peccati corpore adhuc degentibus contingere non potest: non quidem propter aliquam Spiritus Dei in nobis agentis imbecillitatem, aut propter carnis Christi Dei & hominis, ex qua illa ad nos defluit, inopiã & defectum: sed quòd in hac carne nostra, id est, vitiosa natura, qualis in hoc sæculo manet, tantum bonum inesse, & inhabitare minimè potest, quemadmodum docet Paulus Rom. 7. versu 14. & 18. Sumus enim, quandiu hinc viuimus, carnales, & ita peccato venditi & mancipati, iusto Dei iudicio, vt eo prorsus nos exuere, & ab eius potestate liberare nõ

possimus. Itaque lugemus, luctamur cū carne, & cum iusto illo clamamus, *Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis & peccati.* Sæpe quidem non regnat peccatū in nobis: semper tamen inest, quoniam plenè perfectéque, quādiu huic mortali conditioni sumus obnoxii. Christi mortis & resurrectionis participes fieri nequimus. Et certè verissimè ab Augustino dictū est, *Aliud esse nō obedire peccato: aliud autem non habere peccatum.* Ex quibus illud quidem in nobis hīc esse potest: hoc autem postremum non potest. In futura verò vita, & in illa beata sorte & immortalitate, quæ post vltimam resurrectionē nobis à Deo promissa est, tales tamque perfecti euademus, id est, planè perfectéque sancti, & iusti, vt tunc nec peccato obediamus, nec peccatum habeamus. *Sumus quidem iam nunc Dei filij, sed nondum patefactum est, quod erimus,* inquit Ioannes cap. 3. vers. 2. in 1. Epist. Cuius rei ratio, etsi, vt lib. 4. contra Iulian. cap. 3. respondet Augusti, in abdito altóque Dei consilio latet, mihi tamē, pro ingenij mei tenuitate, hæc afferri posse videtur, quòd regni peccati locus & tempus à Deo constitutum est huius mundi duratio & status. Facta enim est homini iam naturalis vitiositas propter pœnam à Deo peccato impositam, quæ vitiositas primū fuit accidētaria. Itaque omnia eius tyrannidem & vim hīc sentiunt, sūntque vanitati in hoc mundo obnoxia. Imprimis autem homo ipse, à quo hæc tam misera seruitus rebus omnibus imposita est. Ex quo fit, vt homo vnus omnium maximè hanc peccati seruitutem, tyrannidem, & subiectionē
hīc

hîc sentiat, propter quem reliquæ res eam sentiunt: à qua, quando hîc viuit, propter Dei iustû in ipsius rebellionē iudicium, liberari profus non potest. Hoc quidem, summo Christi beneficio fideles & electi Dei consequuntur, vt ab eius sãuitie & imperio quadam ex parte eximantur. Ergo manet in nobis, quantumuis Dei Spiritu renouatis, illa spiritus cum carne lucta, de qua Paulus Galat. 5. versu 17. quæ certè inhabitantis adhuc in nobis peccati indicium est, & nondum plenæ perfectæque sanctimonie & iustitiæ à nobis susceptæ, nobisve inhærentis. Nam si verè perfectæque & iusti & sancti hîc viueremus, nullû certè nobis cum carne certamen restaret, quemadmodum neque in bonis Angelis vllû est, neque in nobis ipsis erit, postquam fuerimus promissam illam propter Christû immortalitatem assequuti. Itaque nunc hæc est nostra vel optima conditio, vt possimus non peccare: at tunc & in vita illa cælesti erit tam excellens, vt non possimus peccare. Aliud enim est posse non peccare, aliud non posse peccare. Hanc igitur tum demum adepturi sumus conditionem, quia nunc eam habere nõ possumus. Quò magis mirandum est, quid in mentem iis venerit, qui nos, quandiu hîc viuimus, & sanctos, & iustos perfectè esse posse contendunt. Id quod monachi de se sentiunt. Qui certè homines si planè Pelagiani videri nolint, certè primarios se Pelagianorum discipulos esse fateantur necesse est. Longè verò veterum, & orthodoxorum Patrum verior sententia, qui nullam in nobis vel iustitiæ, vel sanctitatis per-

fectionem hinc inesse consentienter Dei verbo, constantèrque semper affirmarunt. Ioannis 1. Epistol. cap. 1. v. 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est: scriptum est in die cadit iustus.* Prouerb. 24. Augustinus libro 2. De peccat. merit. cap. 13. *Perfecta iustitia nostra imperfecta est.* Psalmo 143. vers. 2. *Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Neque verò quum hominem negamus esse iustum, & sanctum, ad illam iustitiam aut sanctitatem respicimus, vel ad eam examinamus, quæ in Deo ipso inest, & cuius ratione Deus ipse & iustus, & sanctus appellatur: sed ad eam tantum, quam à nobis ipse requirit, atque in illa sua cælesti Legge, quam per Mosè dedit, explicauit & descripsit. Est enim iustitia duplex, ut etiam Hieronymus præclarè scribit,

alia nimirum { Dei ipsius
 { Hominum,

Ad Dei iustitiam, ne Angeli quidem ipsi beati & sancti, sancti sunt. Iob 4. v. 19. *nedum homines mortales & miseri.* Ad humanam iustitiam rationem & normam nulli homines (vno modo excepto Christo) vnquam iusti aut sancti extiterunt, sed qui & iusti & sancti in Scriptura dicuntur, ex eo tales appellantur, quòd ad veram iustitiam peruenire animo contendunt. Itaque, ait Augustinus, *ex affectu, non autem ex effectu: κατά πνεύματος, non autem ἀπὸ λόγου,* & absolutè iusti & sancti illi nominantur. Cæterum quantulacunque sit illa sanctitas & iustitia, per quam hinc bene operamur, illa certè in nobis inest, atque etiam inherens, non autem extra nos, neque tantum nobis

bis opinione quadam imputata, & affixa. At illa tum iustitia, tum sanctitas, per quam Deo grati & accepti sumus, & in qua nihil vel tantillū quidem sordidum est, aut impurum, siue animi nostri cogitationes, siue operum nostrorum examen spectetur: illa, inquam, non in nobis, sed in vno Christo & fuit, & nobis quærenda est. Is enim solus inter homines huiusmodi fuit, eamque iustitiam habuit quam imputat gratis: qui à Deo Patre nobis datus est, ut esset nobis iustitia, sanctificatio, redemptio, quemadmodum docet Paulus I. Corinth. I. vers. 30. Ergo perfecta illa iustitia, & sanctitas, per quam Deo placemus, & quæ ab illa tum iustitiæ, tum sanctitatis ratione, quæ in nobis forma animorum interna ad bene agendum appellatur, est diuersa, etsi tamen nostra ex Christo deducitur, illa, inquam, iustitia & sanctitas, per quam coram Deo *ἀνομιῶν καὶ ἀνομῶν*, ut loquitur Scriptura Ephes. I. vers. 4. I. Petri I. versu 19. reperimur, illa certè in vno Christo fuit, & propter Christum, qui solus eam pro nobis habuit, à Deo nobis imputatur. Neque enim opera illa nostra, quantumuis bona, Deus qui est perfectus, grata habere potest, quia sunt imperfecta. Neque etiam partiaria iustitia, id est, ea, quæ partim Legi obsequitur: partim non parit, contentus esse potest Deus, ut docet Iacobus capite 2. *Nam qui in vno peccat, factus est totius Legis violator reus.* Porro hæc inchoata tum sanctitas, tum iustitia nostra, per quam in his terris bene operamur, est qualitas ex Christi, quatenus Mediator noster est, humanitate in nos per Spiritū

sanctum traducta, nobis impressa, communicata, & inhærens animis nostris, ac eos efficaciter & potenter immutans, afficiens, & velut ignis quidam cælestis calefaciens, & impellens. Male enim nostram sententiam interpretantur, qui censent nos eam sanctitatem inchoatam, per quam agimus aliquid honestum, statuere extra nos ipsos, quasi constituamus accidens aliquod, qualis certè est illa qualitas, sine subiecto: aut etiam quasi figmento quodam, & opinatione animi tantum, non verè & efficaciter dicamus in-
 tus & in corde à Spiritu sancto eos affici & immutari, qui sanctè viuunt. Nec enim sumus ex Docitarum hereticorum, vel Scepticorum Philosophorum censu, qui nihil reuera id esse, quale apparet sentiunt, sed tantum phantasia, & opinione quadam tale videri. Ergo in nobis in-
 est, ac etiam inhæret, Spiritu Dei infundente, illa & sanctimonia nostra, & iustitia, quæ vim & radicem ipsam peccati, id est, ipsius arboris trunci labefactat, minuit, & intorquet, ne tot fructus miserimos postea producat: nõdum tamè eius vim prorsus tollit, neque extinguit, neque euellit, ne ullos omnino proferat, quia tanta non est iustitia nostra. Bernardus in Serm. de Baptismo, & de Sacramento altaris, *Sed tamen quid agimus, quòd in hoc corpore peccati non possumus esse sine peccato?* &c. Deinde, *Duo operatur in nobis illud Sacramentum, ut videlicet & sensum minuat, in minimis: & in grauioribus peccatis tollat, omnino consensum.* Ergo agit in nobis & imprimit nouam qualitatem. Assentimur etiam Augustino, ita in Serm. 16. de verb. Apostoli scribenti, *Si dixerit*

mus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus. Item si dixerimus, quia iustitia nihil habemus, aduersum Dei dona mentimur. Si enim iustitia nihil habemus, nec fidem habemus. Sin autem fidem habemus, iam habemus aliquid iustitiae. Nam (vt ait Lact.) sine detractioe vitiorum, virtus infundi non potest. Ergo & detrahuntur vitia, non omnino quidem: & noua animis nostris affectio inseritur, quae in nobis inest, non autem extra nos ipsos consideranda. Ex quo ipso, facilis iam responsio apparet ad eos, qui quaerunt a nobis, vtrum illa, quae in electis Dei inest, inchoata iustitia & sanctitas, sit illis perpetua & semper inhæreat, vt amitti ab illis & effundi non possit. Saepè enim illi in grauissima non tantum peccata, sed etiam scelera incidunt, in quibus tamdiu permanent, vt omnino omnem sanctitatem perdidisse, & expectorasse videantur, quod de Dauide adulterante dici videtur posse. Sed quum electi Dei a Christo prorsus separari, quum vera membra a suo capite diuelli, quum spirituale illud vinculum omnino abrumpi non possit, respondemus non posse in electis Dei omnino extinctum esse huius sanctitatis & iustitiae inchoatae semen & radicem: quam illius fructus & effecta saepe latent, saepe etiam nulla sunt. Itaque semper manet in iis radix ipsa earum virtutum, vt i fidei, quamquam saepe obscura, saepe etiam vi peccati & libidinis in nobis ebullientis obruta videatur: saepe velut ignis quidam multis concupiscentiae cineribus obiecta, & sine vlllo iudicio latens iacet. Denique saepe velut anchora quaedam nauis, quae in fundum agitati pelagi demissa, variis ventis &

fluctibus operta & oppressa videtur: sed tamen manet. Fides enim, vnde illa tum sanctitas, tum iustitia scaturit & emanat, nunquam in Dei electis prorsus periisse potest. Vnde nec illa duo ipsius effecta omnino pereunt, quæ ex ea & statim & necessario, & indiuulſe, atque inseparabiliter producentur, adeo, vt pro qua mensura vera fides in nobis est, & agit: pro eadem sanctitas, & iustitia illa nostra insint, quoque in nobis, & operentur. Quod autem libro 7. cap. 10. Institut. Christianarum scribit Lactantius, *tam stabile esse in nobis virtutis semel comparata domicilium, vt in omni actu versetur, & sit sine intermissione perpetua, neque nos vnquam deserat*, potius philosophicè, quàm verè dictum est. Neque enim eas virtutes capere possumus, nos qui hic viuimus, quas Philosophi appellant *εἶς*, quæ omne vitium fideliter depellunt, & fugant à nobis: sed tantum eas quæ cum vitio luctantur, habemus, quod melius ex sequent. apparebit. Restat autem, vt quàm varij & diuersi istius iustitiæ & sanctitatis gradus constitui in nobis possint, explicetur. Duo autem in vniuersum possunt, quemadmodum docet Augustinus in libro De nat. & grat. cap. 61. nimirum } Perfectus
 } Non perfectus,
 Perfectus est, quum ad vniuersam illam humanæ iustitiæ normam ad amissim peruenimus atque eam implemus; & quidē ita libetè, vt in eo obsequio præstando, nullum in nobis prorsus aduersarium, nullamque luctam, aut certamen reliquum sentiamus. Imperfectus iustitiæ & sanctimoniam gradus est, quum facimus quidem iustitiam,

stítiam, non autem perficimus: sed in vero Dei cultu & metu incedétes, cum interno concupiscentiæ malo interna conflictatione pugnamus:

Ergo aliud est } Perficere iustitiam. Hic iustitiæ gradus nobis demum in-
erit in patria & vita celesti. Hic vero haberi non potest.

Facere iustitiam. Hic iustitiæ & sanctitatis gradus nobis inest, etiam dum sumus in via, & in hac mortali vitæ peregrinatione. Frustra enim Philosophi eas nobis, hinc agētibus, virtutes inesse somniāt, per quas omnis vitii & carnalis concupiscentiæ vigor & sensus sit in nobis abolitus & extinct⁹. Fieri enim non potest. Itaque quas illi vocant, propriè virtutes, & animorum nostrorum *ēgēs*, huiusmodi, in quibus vis rebellionis nostræ & peccati, sit planè sepulta & sopita, sunt ægrorū somnia, nec in vllō homine mortali (si modò vnum Dominum nostrum Iesum Christum exceperis, reperiuntur. Illa igitur solū animi constitutio ac status in nobis inesse hinc potest, qui est imperfectus sanctitatis & iustitiæ gradus, & in quo etiam renatis magna tamen in bene agendo restat cum carnis concupiscentiæ, lucta & pugna: sed in qua tamen recta ratio & voluntas superior & victrix, Dei Spiritu vires dante, tandem euadit, Hæc autem animi habitudo & status ab iisdem Philosophis *Ἐσπαρτείας* tantum, non etiam præclaro illo *Ἀπερίης* nomine notatur. Sed tamen hæc sola in verissimis Christianis inest & cerni potest dum in hac mortali

Cap. 19. ETHIC. CHRIST.
& misera carne & corpore versantur. Quod i-
psum postea fusius erit explicandum.



CAP. XIX.

Quæ sit actionum nostrarum, quæ sunt honestæ, forma
quatenus in ipso actu versantur & spectantur.

FORMA verò actionū nostrarū, qua-
tenus in ipso actu & opere versan-
tur, est exacta quædā, & ad amissim
exequata ipsius operis nostri ad præ-
scriptā à Deo normam, ratio & administratio.
Itaque ne tantillum quidē ab illa regula disces-
sisse debet nostrum opus. Atque eam virtutem,
quæ cæteras ad suum finem & ad sua præcepta
tam seuerè reuocat, exigit, & ordinat, vt neque
excessus, vel exuperantia, quam Græci *πλεονεξίαν*,
vel *ὑπερβολὴν* appellant: neque defectus, vel
deficientia, quam iidem *ἐλλειψιν*, vsquam in-
sit, vulgò nominant iustitiam, quam in omniū vir-
tutum moderatione, & iusta actionum nostra-
rum administratione adhibendam scribit libro
5. Ethic. *Νικομαχ.* Aristoteles. Alij autem Spiritū
discretionis vocabulo à Scriptura vsurpato, I.
Corinth. 12. vers. 10. I. Ioann. 4. ver. 1. dicere ma-
luerunt. Illa igitur (siue discretio, siue iustitia no-
minetur) certè est quæ in actionum nostrarum
opere ad suam normam exigendo versatur, at-
que nos dirigit. Cui comes additur à Philoso-
phis Prudentia, quæ in mediis cuiusq; honestæ
actionis aptis & accommodatis tum quærēdis, tū
etiam